

1627

C O D I C E S

1628

*Herm. von der Hardt* in *Prolegom.* T. VI. p. 20. et extat inter *Codd. Caes. Juris Canon.* Alterius meminit *Matth. Ludacus* in *Hist. vernacula s. Sanguinis Wilfencensis.*

CCCCXX.

619 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 216. 4. a diversa manu conscriptus continet sequentia: I. Tractatum contra Laicorum Communionem sub utraque Specie, qui incipit: *Apostolica docet sententia* &c. estque *Mauritii de Praga*, jam pluries indicatus, et praesto apud *Herm. von der Hardt* T. III. P. 21. p. 779.

II. fol. 13. sequuntur Auctoritates SS. PP. pro Communionem sub utraque Specie, initio ducto ab *Augustino* de videndo deum. *Fieri nullo modo potest, ut hec sacrarum literarum auctoritas ex aliqua sui parte menciatur.* Compiler *Jacobus de Misa.*

III. fol. 26. Secuntur *Superbijs auctoritatibus Auctoritates solutiones et conclusiones edite et per Concilium Constan. approbate quod laici non communicent sub duplici specie.* Earum Autor iterum *Mauritius de Praga*, ut videre est apud *Herm. von der Hardt. l. cit.* qui omnia haec tria Opuscula praesenti Codice adjuncta edidit.

IV. fol. 58. Disputatio contra Communionem Plebis sub utraque, quae incipit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis* &c.

Est *Andreae de Broda*, et legitur apud *Hardtium cit.* p. 392.

V. fol. 73. Opusculum aliud contra Communionem sub Utraque, cujus principium: *Estote sine offensione ecclesie dei, scribitur prima Cor. X. ca. Anno natiuitatis domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup>. XV<sup>o</sup>.* In praga nonnulli ut reor &c. Apud *Hardtium cit.* p. 658. Ad calcem: *Explicit tractatus de corpore christi in quo multis modis ostensum est, quod laici non debent nec possunt sub utraque specie communicare.* Anno domini M<sup>o</sup>. CCCC<sup>o</sup>. XXI<sup>o</sup>. Scripta per *Stephanum walthberi nisi de nocte.* Itaque in medio Utraquistarum, a quibus *Stephano* periculum impendisse videtur. Habet Tractatus hic *Mantissam foll. 4.* quam omisit *Hardtius*, ad cujus calcem rursus: *Scripta sunt hec per manus Stephani walthberi.*

VI. fol. 108. Sermonum de Sanctis Sylloge, quae incipit a Festo *Andreae* Apostoli hoc modo: *Uenite post me, congregabimini ad me filij ut annunciem uobis que ventura sunt* &c. et ad calcem sic notatur: *Explicit viridarius de sanctis et in quolibet sermone habebis VII. membra.* Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXIII<sup>o</sup>. Obiit hoc anno *Joannes Grossus* Prior Gen. Ord. Carm. *Tolosanus*, qui teste *Trithemio Scriptt. Eccl. n. 680.* et *Lucio* in *Biblioth. Carm.* p. 47. reliquit praeter *Sermones* etiam Opusculum de Ordinis sui institutione et profectu, quod *Viridarius* dixit, unde fieri potuit, ut *Viridarius* appellat-

1629

P O L E M I C I.

1630

pellaretur, *Sermones*que nostri ad illum pertineant.

VII. fol. 193. Sermones breves in *Ferias Quadragesimales* et *Festum Paschatis* inscripti: *Incipit Anglicus In capite Jejunij.* Initium: *Conuertimini ad dominum quoniam benignus et misericors est. Ioel. 2. Quoniam secundum decursum temporum omnia conuertuntur in hoc tempore &c.* Difficile est inter tot *Anglos* Sermonum *Scriptores* Autorem discernere. Saeculo saltem XIV. vixisse, ipsa manus *Codicis* evincit.

Adscriptum est ad calcem *Decretum* quoddam *Episcopale* fine die et consule de *Numero Dierum festorum* et *Jejuniorum* observando, in quo cum bis *Rupertus*, semelque *Virgilius* memoretur, *Sedi Salisburgensi* adtribuendum censeo.

Ad compingendum *Codicem* utrinque adhibita est *Membrana* a *Codice Hebraico*, qui *folii* forma fuisse videtur, avulsa, insignis vetustatis, literis ad modum *Germanorum* formati, luculentis et punctatis, unde *Specimen* quoddam *Adhortationis* seu *Deprecationis*, quae novum *παράκλησον* orditur, adscribam:

מְכַנְיִים רַחֲמִים הַכְּנִיסוּ רַחֲמֵינוּ  
לְפָנֵי בַּעַל הַרַחֲמִים מִשְׁמִיעוּ  
תְּפִלָּה הַשְׁמִיעוּ תְּפִלָּתֵנוּ לְפָנֵי  
שׁוֹמֵעַ תְּפִלָּה מִשְׁמִיעוּ צַעֲקָה  
הַשְׁמִיעוּ צַעֲקָתֵנוּ לְפָנֵי שׁוֹמֵעַ  
צַעֲקָה מְכַנְיִים דְּמַעַתָּה הַכְּנִיסוּ

דְּמַעוֹתֵינוּ לְפָנֵי מֶלֶךְ מִתְמַנֶּה  
בְּדַמְעוֹת הַשְׁתַּדְּלוּ וְהַרְבּוּ  
תְּחִנָּה וּבִקְשָׁה לְפָנֵי מֶלֶךְ אֵל  
רַם וְנִשְׂא הוֹכִירוּ לְפָנָיו וְהַשְׁמִיעוּ  
לְפָנָיו תּוֹרָה וּמַעֲשִׂים טוֹבִים שֶׁל  
שְׂכָנֵי עָפָר •

Quasi dicas: *O, qui colligitis miserationes, colligite miserationes nostras ante faciem Domini miserationum! Qui offertis preces, offerte preces nostras ante faciem Audientis preces! Qui offertis clamorem, offerte clamorem nostrum ante faciem Audientis clamorem! Qui colligitis lacrimas, colligite lacrimas nostras ante faciem Regis numerantis lacrimas! Contendite et iterate supplicationem et postulationem ante faciem Regis Dei excelsi et elevati! Repraesentate ante faciem Ejus et offerre ante faciem Ejus legem et opera bona habitantium in pulvere. Quae eleganter Hebraice expressa ad *Angelos* dirigi videntur.*

CCCCXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. 476 XV. Folior. 264. 4. currente calamo perscriptus, olim *Augustinensium Ratisb.* ad Religionis negotia in *Bohemia* pertinet, et complectitur *Sequentia*: *I. Consilia doctorum Pragensium ne articuli Johannis Wycleff prohibiti et condempnati teneantur.* Initium: *Quia fundamentalis unio Christianorum est, quod omnes sint unanimes in fide &c.* Renovatur de mandato